COSMETICES APPENDIX

Obiter adiecta

A IOANNE STEPHANO
Iatrophysico Veneto Auctore

IO. BAPTISTÆ DOLEONO

Medico,

Non minùs vtraque virtute, quàm genere nobilissimo.

IO. STEPHANVS
S. P. D.

DEcreueram hanc medicinæ partem, quæ deformitates abolet, ab Authore prætermissam, sub silentio prætersre, tuis tamen hortatibus excitatus (tanta est in me authoritas viri) non potui quin tibi de me

optimè merito essem obsequiosus, & morigerus etiam cum nominis detrimento. Aequo igitur animo suscipe, quæ biduo quam festinantissimè exaraui, nè Typographi rebus ad calcem properantis mora detrimento esset. Si quid hiat, aut extuberat, mea quidem culpa effectum erit, sed tua caussa, cuius erit posthac condonare, & parcere. Interim scire licet Cosmeticen a Cometice differre, veluti Philosophus a Sophista; Illa natiuam pulchritudinem tueri nititur; & fœditates, nævos, verrucas expellit: ista fucatam, & adulterinam speciem arte inducit, vt fallat. Hæc vtuntur Mangones ad pellices, quas prostituunt, comendas. Illam colere sas est, istam nefas. Prophilactica, quibus canities retardatur, & reliqua oris vitia tolluntur, ad Cosmeticen attinent. Hic verò nos externa dumtaxat meditamur, quorum experimenta tulerunt maiores, quæ tutius adhibeas, expiato ritò corpore. Vale Aselepiadarum decus.